



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Compendivm Cæremoniarvm In celebratione Diuinorum  
Officiorum Observandarvm**

**Jacobs, Johannes**

**Antverpiæ, 1621**

XXVI. De Organista & Cantoribus seu Musicis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40844**

## C A P V T   X X V I .

De Organista & Cantoribus  
seu Musicis.

**I**N omnibus Dominicis & Festis buibus populus à seruilibus operibus abstinet, decet in Ecclesia organum & musicorum cantus adhiberi: praterquam infra Adventum, & Quadragesimam; excepta Dominica tertia Adventus quæ dicitur **Gaudete**, & quarta Quadragesimæ quæ dicitur **Lætare**, & festis ac ferijs quæ infra Adventum aut Quadragesimam cum solemnitate ab Ecclesia celebrantur, vt dies Annuntiationis, Feria quinta in Cœna Domini, Sabbatum sanctum, & similes, & quandocumque occurrit celebrari solemniter & cum lætitia pro aliqua re graui.

2. In Vesperis solemnibus organum pulsari solet in fine cuiuslibet **Psalmi**, & alternatim in versibus **Hymni**, & Cantici **Magnificat**

Carem.  
lib. 1.  
cap. 28.

N 2 / (circa

## 196 Compend. Cæremon.

Lib. 2.

cap. 3.

(circa quod aduertant cantores & organista, vt cantum & sonum in uicem alternatim ita dimetiantur, vt ante repetitionem **Antiphonæ** incensatio sit expleta) in Matutinis autem potest pulsari organum ab Hymno **Te Deum laudamus**, prout in Vesperis, & in Matutinis noctis Natiuitatis Domini etiam à principio ipsarum.

3. In Missa solemini pulsatur organum ad **Kyrie eleison** & **Gloria in excelsis** alternatim; item finita **Epistola**, & ad **Offertorium**; item ad **Sanctus** alternatim; item dum eleuatur sanctissimum Sacramentum, grauiori & dulciori sono; item ad **Agnus** alternatim, item ad **Antiphonam** quæ dicitur **Communio**, ac in fine Missæ. In **Symbolo** autem non est intermisendum organum, sed illud per chorum cantu intelligibili proferatur.

4. In

4. In Missis & Officijs defunctorum nec organum, nec musica quam figuratam vocant adhibetur: sed cantus firmus, quem etiam tempore aduentus & quadragesimæ in ferialibus diebus adhiberi conuenit.

5. Regulare est, siue in Vesperis, siue in Matutinis, siue in Missa, vt primus Versus **Canticorum & Hymnorum** & pariter **Versus** ad quos genuflectendum est, cantentur à choro in tono intelligibili, non autem ab organo: sic etiam Versiculus **Gloria Patri**, &c. & ultimus Versus **Hymnorum**, etiamsi immediatè præcedes fuerit à choro pariter decantatus.

6. Aduertendum est, vt quandocumque per organum figuratur aliquid cantari, seu responderi alternatim Versibus **Hymnorum** aut **Canticorum**, ab aliquo de choro intelligibili voce pronuncietur id quod ab organo respondendum est. Et laudabile esset, vt

N 3                   aliquis

aliquis cantor coniunctim cum organo voce clara idem cantaret.

7. Cauendum autem, ne sonus organi sit lasciuus aut impurus, & ne cum eo proferantur cantus qui ad Officium quod agitur non spectent, nendum profani aut ludicri, nec alia instrumenta musicalia præter ipsum organum addantur. Idem quoque Cantores & Musici obseruent, ne vocum harmonia, quæ ad pietatem augendam ordinata est, aliquid levitatis aut lasciuia præ se ferat, atque audientium animos à rei diuinæ contemplatione auocet: sed eorum symphonia sit deuota, distincta & intelligibilis.

---

CAPVT

---